

I. N. S. S. T.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

COGNITIONE  
HUMANA,

*Quam*

AFFULGENTE GRATIA DIVINA,

*Et*

Approbanre Ampliss. Facult. Phil.

*In Regia Academia Aboënsi,*

SUB PRÆSIDIO,

Viri Celeberrimi

DN. M. CHRISTIERNI

ALANDRI,

Eloq. Profess. Reg. & Ord.

Præceptoris ac Promotoris sui submissâ animi  
veneratione ætatem prosequendi,

*Publico eruditorum examini modestè submittit*

SAC. REG. MAJ. ALUMNUS

CLAUDIUS T. AUSTRIN,

Ost - Gothus.

*In Aud. Inf. ad d. 18. Maji, A. M. DC. XCVII.*

Impr. apud JO. WALLIUM.

In  
SACR. REG. MAJESTATEM

Summæ Fidei Viro,

ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTIS-  
SIMO DOMINO,

DN. LAURENTIO

CRÆUZ /

LIBERO BARONI

ac

Domino de Sarswelaar / Tiusterby /  
Forsby / Ottinge & Tyfö / &c.

Ditionis Aboënsis Biörneburgensis,  
ut & Alandensis SATRAPÆ Magno,  
Patrono, Mæcenari ac Promotori  
meo summo,

submissâ animi veneratione æta-  
tem suspiciendo,

VITAM, SALUTEM, atque FELICI-  
TATEM PERPETUAM!!!

ILLUSTRISS: AC EXCELLENTISS: DOMINE,  
DOMINE GRATIOSISSIME!



Eleberrimo Illustrissimi ac  
Excellentissimi Domini no-  
mine, quod fulgentibus om-  
nium virtutum atq; gra-  
tiæ radiis, per plurimas  
regiones sparsis, Magnum Finlandiæ  
Ducatum illustrat, Disputationem hanc  
rudi Minerva conscriptam, exornare  
non ausus fueram; nisi me rectius fa-  
cturum existimassem, si illud ubicun-  
que mihi data fuerit occasio, dignis  
laudibus in cœlum efferrem; quam si  
semper id, solum tacitâ animi venera-  
tione, in mente mea infixum servarem.

Præ-

Præsertim quoniam non solum ipse Illu-  
strissimus ac Excellentissimus Domi-  
nus Mæcenas, sed etiam ipsius gloriosæ  
recordationis Illustrissimus Dominus  
Socer, Domina socrus, ac Dominus  
Filius, ejus vitæ pignus charissimum,  
ex summâ gratiâ, Parentibus meis in  
egregio prædio ab omni vectigali libe-  
ris ac immunibus, in summa tranqvil-  
litate atque otio omnem suam vitam  
transigere permiserant: Sed etiam præ-  
terea Illustrissimus atqve Excellentissi-  
mus Dominus, postquam parens meus  
desideratissimus in ineunte mea ætate  
ê vitâ excefferat; statim me orbem ad  
sele receptum, una cum Illustrissimis  
suis Filiis, per multorum annorum spa-  
tium, artibus liberalibus diligentissimè  
incomari curaverat, mihiqve, omnia  
quæcunqve mihi necessaria erant, ex  
summâ munificentia, benignitate atqve  
favore, additâ jucundissimâ promissio-  
ne, quod insigni gratiâ quandocunqve  
ad eum supplex confugerem, me am-  
plecteretur, munificentissimè est largi-  
tus;

tus. Quæ summa in me, meosque cum-  
mulata beneficia, cum nunquam aliqua  
ratione demereri queam; licet ipsam  
vitam pro illustrissimo Domino profun-  
derem: tamen ut declarem me nun-  
quam eorum memoriam, ex animo  
meo deleturum, in tesseram gratissimi  
animi mei, levissimum hoc studiorum  
meorum specimen Illustrissimo Domi-  
no, humilimè offero atque dedico, sub-  
missis precibus orans, ut pro summa  
sua in omnes Mularum cultores gratiâ,  
illud pia subjectione ad ejus pedes de-  
positum, serenâ fronte suscipere, atque  
mihi solitam suam gratiam etiam post-  
hac præstare dignetur. Ego propterea  
semper DEUM O. M. venerabor, ut  
Illustrissimam Tuam Excellentiam in se-  
ram conservet canitiem! omnesque Tu-  
as actiones, miro successu beet! deni-  
que serò dies iste adveniat, quo Illu-  
strissima hæc Finlandiæ Lux extingua-  
tur! Porro calidissimas preces ad DE-  
UM fundere nunquam desinam, ut et-  
iam Illustrissima Domina Comitissa Il-  
il-

Illustrissimi mei Domini ac Dominae, u-  
na cum tota Illustrissima familia, o-  
mni felicitate semper floreat.

ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTIS-  
SIMI DOMINI

*Humilimus Client*

Claudius Austriin.

Amplissimo & Consultissimo Domino,  
**Dn. WILHELMO**  
**JOHANNI QUENSELL,**  
In Supremo Judicio Regio Magni  
Ducatus Finlandiæ ASSESSORI Gra-  
vissimo, Domino, Patrono & Pro-  
motori meo maximo, Nutritio  
meo liberalissimo atque optimo,  
summâ mentis observantiâ  
semper colendo.

Amplissimo atque Prudentissimo,  
**Dn. JOHANNI Râmpe/**  
Camerario Provinciali Solertissimo atq;  
spectatissimo, Patrono meo propensis-  
simo, etiam Nutritio meo benignissimo  
omni officiorum genere perpetuo  
prosequendo.

FELICITATEM PERENNEM  
PRECOR !!!

# Amplissimi Domini.



omnia beneficia, quæ à Vobis Amplis-  
simis Dominis in me cumulata sunt,  
postquam ea felicitas ante aliquot  
annorum spatium mihi obtigit, ut vestri opti-  
mæ indolis atque virtuti maxime dediti filii mihi  
commissi sint, ut eorum animos studiis literarum  
ambuerem, serâ meditatione perpendens: me ad  
majora officia Vobis præstanda esse devinctum,  
quam unquam à me proficisci possunt, quam-  
vis summam navem operam, facile perspicio:  
Nam mihi non solum victum & amictum, sed  
etiam, omnia quæ ad studia mea promovenda  
mihi necessaria sunt abunde insigni vestra li-  
beralitate, suppeditatis. Quamobrem licet  
neque spartam mihi demandatam ex voto ad-  
ministrare, neque dignas Vobis gratias agere  
multo minus referre queam: tamen semper  
usque ad extremum vitæ halitum, pro exi-  
mio vestro in me favore, liberalitate ac gratia,  
gratias Vobis habebo maximas. Ad quam a-  
nimi mei gratitudinem declarandam cum e-  
am dignis verbis exprimere nequeam, Vobis  
Am.



Amplissimi Domini, levissimam hanc Disputa-  
tionem offero, humilime orando, ut eam  
placido vultu accipiatis, atque me sicut antea,  
ita etiam posthac jucundissimo vestro favore  
amplectamini. Et quoniam ego preclara  
vestra in me collata beneficia nunquam sol-  
vere possum; DEUM O. M. assidue intimis  
precibus rogabo, ut Amplissimos Dominos,  
Nutritios meos liberalissimos, quovis honoris  
cultu, usque ad cineres prosequendos, una  
cum lectissimis atque dulcissimis suis conju-  
gibus, atque totis inclucis familiis, salvos  
atque incolumes, quam diutissime rebus hu-  
manis interesse patiatur.

**Amplissimorum Dominorum.**

*addictissimus cliens*

CLAUDIUS AUSTRIUS.

JUVENI

*Elegantia Ingenii Morumq; pereximio,*

Dn. CLAUDIO AUSTRIIN,  
OstroGotho,

De,

COGNITIONE HUMANA,

ex Philosophia Saniori erudite ac so-  
lenter e Cathedra Academicâ disse-  
renti, Gratulatur,

Cognitio ante alias præcellens, γνῶσις,  
σπουδόν,

Grajis mandata est & celebrata choris.  
Hanc, AUSTRINE, simul meditaris, quan-  
do, sagaci

Ingenio quavis cognitione cluis.

Cognitio humana est, Artes quæ perci-  
pit omnes;

Hanc dum scrutaris prodis & ipse tuas.  
Gratulor his cæptis, faustas atque appre-  
cor illis

Auras, in patriæ commoda magna  
tuæ!

L. Mqj.

PETRUS LAURBECCHIUS  
S.S. Th. D. Prof. Prim. Ep. Wib.



§. I.



Cognitionem Humanam ex  
inexhausto sapientiæ fonte  
DEO O. M. emanantem de-  
scripturi, primum ejus ὀνο-  
ματολογία<sup>ν</sup> seu nominis ex-  
plicationem, secundum methodum in  
hujusmodi rebus declarandis usu rece-  
ptam, exponere constituimus, ut eò  
facilius, explicatâ ipsius voce, dari pos-  
sit in conspectum. ἔτυμολογίας illius de-  
clarationi multum curæ impendere, non  
operæ est pretium: cum omnes studiis  
literarum instructi, cognitionem à ver-  
bo Græco γινώσκω, quod latinè Cogno-  
sco significat suam habere originem sci-  
ant; licet à con & nosco in linguâ La-  
tina quod sit composita & derivata fa-  
cile perspiciant. Sed ὀμωνυμία ipsius  
diligenter consideranda est, ut omnis  
ambiguitas ab ea removeatur: quoniam  
nomen ejus non solum ob diversum

cognoscendi modum, verum etiam ob relationem ad diversa objecta est valde *πλούσιον* atque variè sumitur. Nam vel latè pro omni hominum notitia, quocunque modo acquisita: vel strictè pro primâ & exigua saltem perceptione accipitur. Quam ob rem pleriquè Philosophi cognitionem in confusam & distinctam dividere solent: Illa imperfecta & incompleta est notitia, quâ indistinctè atque cum confusione varias res imperfectè perceptas cognoscimus: hæc verò perfecta & completa est scientia, quâ res intellectui nostro objectæ, clarè atque distinctè, secundum omnes suas partes essentielles percipiuntur. Sed quoniam ipsa partim nobiscum nascitur, partim per nudam sensuum apprehensionem, partim per claram & distinctam intellectus perceptionem acquiritur, in naturalem, sensualem, & intellectualem à multis distinguitur. Alii autem quia vel circa res naturales, quæ ex lumine naturæ humanæ; vel circa res su-  
per-

pernaturales atque mysteria, quæ ex  
 singulari revelatione divina nobis in-  
 notescunt, versatur, eam in humanam  
 seu naturalem, & in divinam seu super-  
 naturalem vel revelatam dividunt: quod  
 ex Celeberr. Doct. Balthas. Meisner.  
 Philosoph. Sobr. Part. 3. Sect. 1. cap. 8.  
 atque ex aliis magni nominis Philoso-  
 phis satis perspicui potest. Præterea  
 plurimas alias admittit distinctiones, sed  
 quia illæ, hisce benè perspectis atque  
 cognitiss, quæ hic allatæ sunt, non vi-  
 dentur ipsi magnam afferre obscurita-  
 tem, *Συνοψίαν* ejus illis præteritis su-  
 scipimus considerandam, quoniam co-  
 gnitio variis aliis exprimi solet nomi-  
 nibus. Nam vel vocibus notitiæ atque  
 notionis designatur, quia ea quæ co-  
 gnoscimus, nobis nota fiunt: vel per  
 nomen scientiæ effertur, siquidem ho-  
 mines ea benè instructi, quid ipsis fa-  
 ciendum vel omittendum sit optimè  
 sciunt: vel vocabulis conceptus & per-  
 ceptionis denotatur: quoniam ejus be-  
 neficio facilè varias res concipere atque  
 per-

4  
 percipere possumus. A Græcis *ἰσχύς*,  
*ἰσχυρότης* atque *Σύνεσις*: ab Hæbræis au-  
 tem רע, רעה, הכרה & דעת appellatur.  
 Unde Rabbinis concretum דעת h. e. Sci-  
 ens prudens: & proverbium רעת שבאנשים  
 צריך עצה h. e. *Scientissimus hominum e-  
 get consilio.*

§. II.

Quoniam omnis à ratione suscepta  
 dissertatio, secundum præcepta  
 Philosophorum à definitione proficisci  
 debet, ut eò melius perspici possit,  
 quid id sit de quo disputabitur. Tam-  
 etsi utrunque: & definire & divide-  
 re inauspicati esse ominus dicat Ro-  
 ter: in Mor: Encom. Itaque Cogni-  
 tio nobis, ipsius *πραγμαθολογίαν* & quid  
 in re importet exposituris est definienda:  
 licet hoc factu sit difficilimum, cum  
 plurimi excellentissimi viri, qui operam  
 suam in explicationem ejus contule-  
 rant, in plane diversas abeant senten-  
 tias. Nam quidam essentiam illius in  
 discretionem consistere sibi persuasum  
 habent: Sed multi alii secum confide-  
 ran-

rantes, quod iudicium cuius beneficiò  
 ea discernimus atque diversa esse iudica-  
 mus, quæ per diversas species sive i-  
 deas nobis repræsentantur cognitionem  
 antea acquisitam sequatur: à sententiâ  
 eorum recedunt. Quidam naturam  
 ipsius in attentione residere putant.  
 Plurimi autem, qui ex quotidiana ex-  
 perientia observant, quod multa in se  
 ipsis ad quæ non sunt attenti percipiant,  
 illam non ad omnem cognitionem ne-  
 cessariò requiri existimant, quamvis  
 ad perfectam notitiam multum faciat.  
 Quidam eam in receptione speciei con-  
 stituunt, quorum sententiam licet mul-  
 ti præcedentibus præferant: tamen non  
 omnes ipsi præbent assensum, quoniam  
 specula, & alia hisce similia quæ nihil  
 cognoscunt, speciem rei sibi objectæ  
 recipere vident. Quidam dicunt Co-  
 gnitionem esse ipsam repræsentatio-  
 nem rei in intellectu: cum quibus pluri-  
 mi facile consentirent, nisi etiam per-  
 ceptionem ejus quod menti est intimè  
 præsens, ad notitiam requiri existima-  
 rent.

rent. Quorum variæ opiniones ex Celeberr. Doct. Ludovic. De-La-Forge Tractatu de Mente Humanâ cap. 9. atque ex multis aliis colligi possunt. Sed nos omissis variis horum sententiis, unâ cum Excellentissimis Philosophis per Cognitionem intelligimus *Perceptionem rei in intellectu representatae*: quoniam nobis persuademus, mentem nostram per facultatem cognoscendi à DEO ipsi concessam prius res sibi objectas qualitercunque percipere, quam in perfectam earum pervenire possit cognitionem.

### §. III.

**E**t quamvis multa nobis tam abscondita esse videantur, ut neque intellectu humano percipi, neque ratione nostra investigari queant; tamen omnes homines non solum Entia creata, per ideas in eorum mente repræsentata, sed etiam ipsum Ens increatum aliquo modo cognoscere, cum singula quæ in tota rerum natura existunt diligenti me-



meditatione considerant, facile deprehendimus. Nam admirabile hujus mundi theatrum contemplantes, aliquid summum atque optimum Ens dari, quod omnia quæ in toto mundo continentur condiderat: cælum sole, lunâ & stellis, quæ statos cursus ac vires servant, egregiè ornaverat: atque è terra varia animalia & herbas in utilitatem eorum produxerat, atque propterea summe potens esse imo omnipotens quod unâ conditione exceptâ etiam facti sunt Ethnici, utp: Agathon apud Arist. Eth: Nic: l. 6. c. 2.

Μόνε γάρ αὐτῆ καὶ Θεὸς ἐπέσκεψαι,

ἀγένητα ποιεῖν ὅσσο' αὖν ἢ πεπεραγμένα

h. e. Uno enim illo DEUS destituitur infesta facere omnia quæ facta sunt: ipsum adeoque omnibus esse venerandum (quod etiam Ethnicus ille Aristoteles Libr. 7. Polit. cap. 8. declarat dicendo πρῶτον ἢ περὶ τῶν θεῶν Ἰππικῆα. h. e. Prima sit de divinis cura: Et similiter Pythagoras: Ἀθανάτου μὲν πρῶτα Θεὸς νόμος ὡς ἀρχαῖαι τίμα

πῖμα καὶ σέβας h. e. *Immortales quidem pri-*  
*mum DEOS Lege ut sanxit honora & ve-*  
*nerare.* Qui quidem nequaquam ipsius  
 cultûs habuisset rationem, nisi aliqua  
 ratione ipsum cognovisset) facile colli-  
 gere possunt. DEUM præterea omni-  
 bus hominibus quodam modo esse co-  
 gnitum, propria ipsorum conscientia  
 facilè evincit. Nam rectè facientes sum-  
 mo implentur gaudio, quoniam DEUM  
 singulas eorum actiones sibi habere  
 cognitatas, & ipsis propterea quod man-  
 data ipsius secuti fuerant, magnum præ-  
 mium redditurum: sed malum perpe-  
 trantes maximo afficiuntur metu, quia,  
 omnium rerum Creatorem, ipsos ob  
 detestanda illorum scelera gravissimis  
 pœnis affecturum existimant. Ipsi de-  
 niqve saniores Ethnici, DEUM toti ge-  
 neri humano innotescere, ingenuè sunt  
 confessi: ut Aristoteles Libr. 1. de Cælo  
 cap. 3. dicens, πάντες οἱ ἄνθρωποι ἔχουσιν  
 ἐπιόλησιν τινα πρὸς θεῶν. h. e. *omnes homines*  
*habent præconceptam quandam opinionem*  
*de Diis.* Iple quoque Cic. Lib. 1. de Leg.  
 egre-

egregiam prorsus de DEO ὁμολογίαν  
 fecit dicendo: quod nulla gens sit neque  
 tam immansueta, neque tam fera, que  
 non etsi ignoret qualem DEUM habere  
 deceat, tamen habendum sciat. Cum En-  
 tia creata rectâ mentis trutinâ examina-  
 mus, ea quoque aliquo modo â nobis  
 posse cognosci satis perspicimus, licet  
 in perfectam eorum notitiam non per-  
 veniamus. Nam DEUS ex ineffabili  
 sua gratia nos gnosticos, seu tanta co-  
 gnoscendi facultate præditos creaverat,  
 ut non solû omnes res intellectui nostro  
 objectas cognoscere tales ut reverâ in se  
 ipsis sunt ( præterquam quando â sen-  
 sibus decipimur, qui sane sæpissimè nos  
 fallunt: ) sed etiam quid acturi simus  
 prospicere, atque de peractis rebus ju-  
 dicare possimus. Quod Celeberr. Doct.  
 Abrah. Calov. considerans, in Gnostolog.  
 Part. Gener. cap. 1. dicit *intellectum*  
*intelligendo fieri omnia*: unde satis col-  
 ligi potest, non tantum omne ens sen-  
 sibile, seu materiale; verum etiam o-  
 mne intelligibile seu spiritale, quod

materia caret, licet non semper áctū tamen potestate ab intellectu nostro percipi: etiam non-ens per similitudinem entis intelligi; nam privatio per oppositum habitum cognoscitur: sed nihil quatenus plane nihil est, non posse ulla ratione cognosci. Quamobrem una cum M. Georg. Meier. in ejus Gnostolog. Part. Gener. Cap. I. *omne quod est cognoscibile, esse*, concludimus.

#### §. IV.

Sed quia τὸ Γνωστὸν seu cognoscibile quod intellectui ad cognoscendum objicitur; omnia quæ cognosci possunt sub sese comprehendit, cum ob diversas res sub eo comprehensas, tum ob diversam earum considerationem, variis exprimi solet nominibus. Nam id quod immediatè in se ipso solum absque prima sua causa cognoscitur, formale: illud autem quod una cum proximis atque immediatis suis principiis atque affectionibus consideratur, Fun-

fundamentale dicitur. Aliàs etiam cognoscibile in simplex, quod omne ens reale, extra fictionem intellectus verâ existens, & in complexum seu compositum, quod propositiones, à nuda mentis operatione dependentes sub se complectitur: quorum illud πρώτως, hoc verò saltem δευτέρως est attendendum, dividitur. Præterea quoniam ea quæ cognoscimus partim ex lumine naturæ, partim ex singulari revelatione divinâ nobis innotescunt, omne cognoscibile in naturale, sub se res naturales, quæ secundum communem naturæ cursum eveniunt complectens; & in supernaturale, sub se res supernaturales, quæ supra naturam, modo prorsus extraordinario à DEO fiunt comprehendens, à Celeberrimis Philosophis, divisum reperitur. Sed quia Cognoscibile naturale, vel propter cognitionem liberalem, quæ multarum rerum contemplatione atque actione intellectum perfectum redens, liberis hominibus maximè est digna, cognoscimus: vel

ut cognitione illiberali instructi, eas actiones quæ corpore peraguntur, facilius efficiamus, in liberale & illiberale dividitur. Ulterius cognoscibile liberale in principale seu reale, quod ob proprium finem, merito sui ipsius ab intellectu cognoscitur; & in minus principale, seu instrumentale; quod indirectè, & saltem propter aliud innotescit, distingvitur. Cognoscibile reale iterum ( quod alias philosophicum dicitur ) vel est independens, quod à nullo alio naturali cognoscibili dependet, vel sua principia sumit, sed cæteris fundamenta quibus innituntur suppeditat, vel dependens, quod ab alio suam dependentiam, atque principia habet. Denique cognoscibile philosophicum quod rursus in θεωρητικὸν seu contemplabile & πρακτικὸν seu agibile aut operabile dividi solet, omnia naturalia, vera, liberalia, realia & primaria entia, quæ intra limites Philosophiæ continentur, sub se comprehendit: quod Clariss. M. Georg. Meier. in gnostolog. Par-

Part. Gener. cap. 1. & in Part. Special. cap. 2. egregiè exponit. Hisce præmissis observandum est cognoscibile, hic loci non in maxima latitudine à nobis attendi, ita ut omnia, quæ non tantum humano, sed etiam, angelico atque ipso divino intellectu cognosci possunt, sub se comprehendat; sed solum in relatione ad intellectivam cognitionem humanam; quatenus à cognoscibili naturali & supernaturali, reali & instrumentali præcillum, aliqua ratione ab intellectu humano cognosci potest.

### §. V.

Sed ut Cognitionem Humanam, maximis obstructam difficultatibus, eò melius possimus explicare: necessarium nobis esse videtur principia ipsius è quibus eruitur, atque per quæ intellectus noster ad eam deducitur, cum hæc sint fundamenta ejus quibus innititur, exponere. Ad quorum sedulam considerationem animum applicantes; ea in interna sive intrinseca & in externa sive

extrinseca, secundum summorum Philosophorum ductum dividenda esse cernimus: licet satis habeamus perspectum, quod illa non propriè sed solum per similitudinem, ipsi attribuuntur. Interna cognitionis principia sunt ejus ( a ) Materiale, ipsa scilicet rerum Entitas: quam non hic loci strictè pro sola re existente: nec strictius pro essentia reali, quæ neque entia rationis neque non-entia sub se complectitur: nec strictissimè pro summo atque independente Ente, quod ab æterno fuerat, semper est & in æternum erit. Quod D. Johannes considerans in Apoc. cap. i. v. 4. in hæc verba erumpit dicendo *εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὄντος καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος* h. e. Pax, à Qui est, & Qui erat, & à Qui venturus est. Quam DEI æternitatem etiam Hebræi designare videntur, nomine יהוה quod Ens vel existens significat, à Rad. היה fuit. Idem etiam David seria secum perpendens meditatione Psal. 10. v. 16. dicit *יהוה מלך עלם ועד* h. e.



*Jehovah Rex (est) in seculum & in eternum.*  
 Sed latissimè pro omni cognoscibili accipimus: ita ut non tantum entia realia, quæ non sunt ficta, sed revera dantur, etiam cum nullus homo animum ad ea attendit, verum etiam entia rationis, quæ objectivè à ratione ut ens finguntur: licet non reverà extra mentem dentur: atque accidentia, quæ extraessentialiter substantiam afficiunt: quatenus aliqua ratione à nobis cognosci possunt, sub se comprehendat. Et quamvis Ens & Entitas sint synonyma tamen potius nomen entitatis, quam entis hic loci adhibemus, quoniam ea diminutam essendi rationem importat: quod ex ipsis affectionibus Entis, ut e. g. ex unitate, & veritate &c. perspici potest, quæ non formaliter ipsum Ens, sed Entitas vel aliquid entis à Metaphysicis appellantur. (β) Et Formale quod est ipse cognoscendi modus: qui quoniam intellectu est difficilimus, ut tantò melius nobis innotescat, ipse status qui alias certus respectus vocatur, sub quo  
 res

res intellecta objicitur intellectui, diligenter considerandus est. Status autem iste est quadruplex. 1. Status objectivus fundamentalis dicitur, secundum quem unumquodque ens existit, atque in individuis fundatur. Hic status reliquis tribus supponitur, unde etiam fundamentalis appellatur: & causa radicalis est omnis veritatis, quam de ente habemus: 2. Status objectivus idealis entis est, cum ens non solum per ideam consideratur, quatenus in individuis est fundatum, sed etiam per præcisionem in natura sua ab omnibus individuis abstracta cognoscitur: ex hoc statu conceptus iste, qui vulgò à Metaphysicis objectivus dicitur, promanat. 3.<sup>o</sup> Status universalis entis vocatur, cum Ens non tantum in individuis fundatum, sed præterea abstractum ab individuantiis ( ut ita salva cum venia dici liceat ) conditionibus, aptitudinis conceptum essendi in multis individuis, ulterius accipit: secundum hunc sta-

statum non modo substantiæ, sed etiam accidentia atque spiritus, sub nomine entis veniunt. 4. Status Formalis entis appellatur, cum ens aut in statu fundamentalis, aut in ideali, aut in universalis, per ideam (vel ut veteres Philosophi dicunt, per speciem intelligibilem) menti repræsentatur: nam intellectus noster nullum objectum immediate, sed omne per ideam vel speciem cognoscit. Ex hoc autem statu conceptus formalis, de quo in sequentibus sumus acturi, suam habet originem. Quod L. Andr. fromm. In Metaphys. lib. I. cap. I. Doct. Abrah. Calov. in sua Metaphys: Divin. alique Metaphysici egregiè declarant.

#### §. VI.

Hiscæ expositis operæ pretium esse videtur, etiam fundamentum, mensuram atque primum principium omnis cognitionis humanæ breviter exponere: quod facturi, primum, summum, atque

que ultimum omnis, totius generis  
 humani notitiæ principium esse DEUM  
 O. M. haud cunctanter constituimus:  
 quoniam & ipse omnia novit ( quod e-  
 tiam ethnicum istum Hesiodum *ὡεὶ ἐρ-  
 γων καὶ ἡμεῶν* canentem perspexisse  
 cernimus, cum dicit; *παντὰ ἰδὼν Διὸς  
 ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας*: h. e. Jovis ( seu  
 DEI ) *oculus omnia videt & omnia intelligit* ) &  
 præterea cuncta quæ nos cognosci-  
 mus, partim per lumen rationis, par-  
 tim per singularem revelationem nobis  
 manifestavit. Præterea etiam cog-  
 nitionis fundamentum constitutionis me-  
 ritò appellatur quoniam omnis nostra  
 scientia non solum ipso tanquam omnia  
 cognoscente, sed etiam tanquam omnia  
 manifestante & notitiam hominum pro-  
 ducente velut firmissimo innititur  
 fundamento. Præterea ipse DEUS  
 mensura cognitionis, quâ constitui-  
 onem à philosophis rectè constituitur:  
 quoniam omnes res creatæ ab intellectu  
 divino, qui exactissima mensura est ve-  
 ri-

ritatis omnium rerum, mensurantur: quamobrem, quidquid conforme est intellectui divino, verum esse rectè statuitur. Tum etiam quâ cognitionem; quia DEUS omnes res tales, ut in se ipsis sunt, exactissimè cognoscit: quod excellentiss. Doct. Abrah. Calov. in Gnostolog. Part. Gener. cap. 2. & in Metaphys. Divin. Part. Gener. cap. 5. egregiè declarat. Sed fundamentum cognitionis respectu apprehensionis, est cum liber scripturæ, qui ex ineffabili DEI gratia atque bonitate, per singularem revelationis gratiam nobis donatus est: ex quo non tantum plurima ad hanc vitam feliciter transigendam cognitû utilia: sed etiam omnia ad æternam beatitudinem consequendam, transactâ vitæ hujus fabulâ, nobis scitu sunt necessaria haurire possumus. Tum liber naturæ, qui à DEO nobis ad contemplandum est propositus: ex quo acquiritur omnis notitia, quæ per lumen naturæ ex omnium re-

rum contemplatione potest comparari. Quamobrem natura, fundamentum cognitionis respectu repræsentationis omnium scibilis appellari solet: idque haud sine causa; quoniam cum animum ad totum hoc aspectabile mundi theatrum seriâ æstimatione perpendendum applicamus, res creatas vel inter sese, vel ad ipsum creatorem conferendo, & sensibilia à sensibilibus, atque intelligibilia ab intelligibilibus abstrahendo, in aliquam omnium rerum notitiam possumus pervenire.

### § VII.

**E**xpositis Cognitionis Internis Principiis, Externa, quæ nos ab extra in rerum notitiam, vel eam primò excitando, vel excitatam postea promovendo deducunt, etiam breviter explicare decrevimus. Quorum explicationem incepturi, illa sub sese continere cum finem propter quem cognitio acquiritur, tum efficientem causam a qua est, facile perspiciamus. Finis ejus vel est intermedius, scilicet ut intellectus noster

vel solum res sibi objectas contem-  
 plando, vel etiam eas ad certam ope-  
 rationem dirigendo, per habitum na-  
 turali potentia cognoscendi superad-  
 ditum perficiatur; vel ultimus, gloria  
 videlicet DEI altissimi; ad quam cele-  
 brandam, ex ipsa rerum notitia nobis  
 concessa ineffabilem ejus bonitatem ac  
 gratiam erga nos, diligenti meditatio-  
 ne perpendentes, incitatur. Princi-  
 pium efficiens, ad studium cognitionis  
 nos movens, ex parte rerum, est exi-  
 mia earum pulchritudo acque insignis  
 varietas: nam amore hinc accenso, in  
 intellectu nostro, maxima cupiditate  
 ipsas cognoscendi flagrare incipimus.  
 Et quoniam neque causas earum pul-  
 chritudinis, neque naturam illarum ob  
 cæcitatem mentis nostræ primo intui-  
 tu cognoscere possumus, eas contem-  
 plantes, maxima capti admiratione, co-  
 gnitionem earum summo studio nobis  
 acquirere cupimus. Quod ipse philo-  
 sophorum princeps Aristoteles conside-

rasse videtur, cum lib. i. Metaph. c. 2  
 dicit *Διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ  
 νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφῆν*, h. e.  
*Per admirationem enim homines, & nunc &  
 olim incipiebant philosophari*: nam satis in-  
 telligere potuerunt, admirationem ex  
 ignorantia excitatam, investigatione  
 occultarum rerum deponi. Ex parte  
 autem nostri ad cognitionem nos mo-  
 vet, cum connata inscitia ex quâ intel-  
 lectus noster tanta obfuscatus est cali-  
 gine, ut nec causas rerum cognoscere,  
 nec actiones nostras rectè suscipere,  
 nec benè ad finem perducere, nisi il-  
 la fuerit remota, possimus. Itaque  
 hanc mentis cæcitatem attractam, quæ  
 in negotiis nostris efficiendis, maximo  
 nobis est impedimento (quoniam omnes  
 ex naturæ instinctu perfectionem nostri  
 desideramus) magnopere depellere stu-  
 demus: tum insatiabile sciendi deside-  
 rium hominibus innatum: nam licet  
 præclaram omnium rerum scientiam si-  
 bi acquirere possent: tamen desiderium  
 ma



majoris notitiæ comparandæ, sæpius  
 ipsis inculcans, ea pauca esse quæ sci-  
 unt, respectu omnium eorum quæ ne-  
 sciunt, nunquam impleri potest: sed  
 semper majorem notitiam atque per-  
 fectionem affectat. Quod etiam Cele-  
 berr. Doct. Abr. Calov. in Gnostolog.  
 part. gen. cap. 3. secum perpendens  
 dicit, quod *Appetitus sciendi nunquam  
 satiatur.*

### § VIII.

**N**ecessarium nobis esse videtur,  
 postquam finem, quem homines  
 studio cognitionis acqvirendæ accen-  
 si sibi habent propositum, tum etiam  
 ipsum efficiens, quod desiderium omnia  
 scilicet cognoscendi in ipsis excitat  
 breviter exposuimus: etiam ipsum a-  
 gens, cujus beneficio cognitio nostra  
 præcipue peragitur, ostendere. Quod  
 sedula meditatione nobiscum reputan-  
 tes, DEUM O. M. ejus agens princi-  
 pale seu primarium, sed remotum esse  
 statuendum, facile cernimus: quoniam  
 omnis nostra intelligendi potentia ex  
 ipso

ipso solo promanat. Qui licet modo plane supernaturali nobis notitiam infundere facile potuisset: tamen per certa media nos in rerum cognitionem ducere gratum ipsi fuerat. Quamobrem mentem ad imaginem sui ab initio preparatam multisque nobilissimis facultatibus exornatam, nobis indiderat. Quarum ipse intellectus, seu ea Facultas animæ rationalis; quæ ad verum cognoscendum a DEO est ornata, nunquam satis dignis laudibus efferri potest, quoniam ea per ideas nos in cognitionem multarum rerum deducit, & omne quod potentiâ cognoscibile est, actu intelligibile reddit: quam ob rem agens principale seu primarium cognitionis idque proximum appellatur. Præterea ipsa quoque ratio, quæ de rebus intellectis judicat, earumque causas perpendit, plurimum ad cognitionem facit. Agens medium seu secundarium, remotum scilicet, sunt cum sen-

sus externi quibus mediantibus varias  
 res nobis objectas apprehendimus: ex  
 quibus visus & auditus maximam ob-  
 tinent dignitatem: quam ob rem hi  
 duo sensus λογικώτατοι seu maximè ra-  
 tionales, respectu cæterorum, appellan-  
 tur, quoniam plurimum ad varias res  
 cognoscendas faciunt. Duplici autem  
 modo aliquid in sensus incurrere dici-  
 tur, vel directè atque per se, ut o-  
 mne quod sensibilibus qualitatibus, si-  
 ve propriis, sive communibus est præ-  
 ditum: sed hoc modo non omnia cor-  
 pora naturalia sentimus. Nam neque  
 maximum cœlum, neque minimas  
 atomos, sensibus percipere possu-  
 mus; vel indirectè atque per aliud  
 quod aut per partes, aut per effectum,  
 aut per simile, aut per oppositum,  
 aut per fundamentum, aut per alium  
 quemcunque modum sensibus nostris  
 objicitur, & hoc modo facilè possu-  
 mus dicere, quod omnia sub sensum  
 cadant: & hoc videtur Mag. Georg.  
 Mejer in Gnostolog. Part. Gener. cap. 3.

considerasse, cum sensibus tantam attribuit dignitatem, ut eos sapientiæ fundamenta appellaverit. Tum experientia, quæ est cognitio ex collatione multarum recordationum sive memoriarum orta: hujus atque rationis officio omnes rerum causas intuemur; ipsasque res penetramus. Unde *πᾶσα καὶ λόγῳ*, cognitionis ocelli appellari solent.

### §. IX.

Ut methodum in hujusmodi rerum explicatione usitatam observemus, hisce præmissis, etiam principium proximum cognitionem nostram producens, ipsam scilicet abstractionem, sine quâ in nullius rei notitiam pervenire possumus, exposituri sumus. Hoc enim est unicum illud medium, quod nos in distinctam rerum cognitionem deducit: quod Celeberr. Doct. Abrah. Calov. secum reputans in Gnostolog. Part. Gener. cap. 4. in hæc verba erumpit dicendo, *abstractionem qui tollit, omnem tollit scientiam. Est autem abstractio, functio*

*noſtri intellectus, quâ is rem à re præcisam à con-*  
*ditionibus individuantibus, vel accidentalibus*  
*imperfectionibus, liberat, & è ſtatu ſingula-*  
*ritatis in univerſalem vel eminentem deducit,*  
*ut diſtinctè cognoscatur: Teſte Mag. Georg.*  
*Meier. in Gnoſtolog. Part. Gener. c. 4.*  
 unde facilè colligi poteſt, non per vo-  
 cem abſtractionis, realem, vel unius  
 rei ab alia, vel à materia ſeparationem;  
 nec puram alicujus de aliquo negatio-  
 nem; ſed præciſionem ipſius mentis, qua,  
 ex quibusdam actu arctiſſimè conjunctis,  
 unum, relictis cæteris apprehendimus,  
 eſſe intelligendum. Solet autem hæc  
 abſtractio, quadruplici modo diſtingui à  
 Philoſophis. Abſtractio ſecundum in-  
 differentiam dicitur, qua intellectus  
 noſter res in latiffimo conceptu confi-  
 deratas, quatenus illæ ſeſe indifferenter  
 & ad materialia & ad immaterialia ha-  
 bent: quæ aliàs metaphyſica appella-  
 tur, quoniam omnia ea quæ in Meta-  
 phyſica traduntur, hoc modo confide-  
 rari debent. Abſtractio ſecundum eſ-  
 ſentiam vocatur, quâ intellectus noſter,

non solum in genere, sed etiam in specie, ea quæ plane materia carent, & per essentiam suam eam nulla ratione habere possunt, cum re ipsâ, essentia eorum, omnis materiæ sit expers, contemplatur: atq; hæc abstractio pneumaticæ est considerationis, in quâ res immateriales, spiritus scilicet considerantur. Abstractio à materia signata seu singulari dicitur, quâ intellectus noster, aliquid quatenus materiatum est: sed tamen non quatenus est in aliquo singulari corpore, vel in hoc vel in illo individuo, considerat, & hæc abstractio circa corpora naturalia occupata; physica appellatur. Abstractio à materia secundum rationem nominatur, quâ intellectus noster aliquid contemplatur, quod quidem semper secundum suum proprium essendi modum, in materia existit: sed quatenus hic nunc consideratur, non aliqua certa materia attenditur: & hæc abstractio mathematica appellatur. Hisce quatuor modis abstrahendi, sibi que ideas formandi, intellectus noster, tan-

tanquam utilissimis & ad cognitionem maximè necessariis mediis in principali rerum contemplatione utitur.

§. X.

Postquam varia alia non solum interna, sed etiam externa cognitionis principia breviter exposuimus, etiam è re esse videtur, ut ejus principium proximum apprehensionis, per quod ipsæ res ab intellectu nostro apprehenduntur, atque in ipso repræsentantur, etiam explicemus. Ad cujus considerationem animum adjungentes, facile cernimus, quod neque ipsæ res mentem nostram ingredi, neque absque aliquo medio, in ipsa repræsentari queant; ideoque ad cognitionem, inter mentem atque res requiri unionem, per quam illæ tales ut revera sunt ab ipsa percipiuntur, quod per solam ideam seu conceptum efficitur: qui ab excellentiss. D. Abrah. Calov. in Gnostol. part. Gen. cap. 5. definitur, *Species ab intellectu formata, representativa scibilis in mente ut in se est cognoscendi.* Soler autem conceptus

vulgo dividi in formalem, (qui est ipsa species seu idea per intellectum formata, de re ab ipso apprehensa) quem modo descripsimus, & in objectivum, qui est ipsa res intellectui nostro objecta, de qua talis idea in mente formatur: idque improprie, & per ἀκυρολογίαμ quamdam conceptus appellatur: quod Celeberr. Adrian: Heerebord, in Meletemat. Philosph. volum. I. & M. Georg. Mejer. in Gnostol. Part. Gen. Cap. 5. egregie declarant. De ipso autem modo, quo conceptus peragitur, veteres atque recentiores Philosophi diversas fovent opiniones; qui horum sententias de ipso percipiendi modo scire desiderant: ipsi eam egregie ab Experientiss. Doct. Ludov. De-La-Forge, in ejus tractatu de Mente Humana. Atque à Nobiliss. Dn. Renato Des Cartes expositam inveniunt. Sed omittam horum sententiam, veterum opinionem de ipso modo cognoscendi, quæ ex M. Georg. Mei. Gnostol. atque ex Johan. Sperlingz

An.



Anthropolog. Physic. Cap. 3. atque ex plurimis aliis facile colligi potest, hic loci proferimus: secundum quorum sententiam hoc modo fit perceptio. Res sive objectum, quod cognoscere cupimus, deferri debet ad ipsum intellectum: sed quoniam id non potest essentialiter ingredi ipsum intellectum, sese factâ abstractione per imaginem sui ei insinuat. Cum autem objectum sensibile sui diffundit à se species, istæ à sensibus externis visu, auditu, vel ab aliquo ex aliis, ad sensus internos, & primum quidem ad Sensum Communem deferuntur: qui factâ inter hæc species sensibiles discretionem, atque ab invicem distinctionem, illas ad ipsam Phantasiam mittit, quæ ipsis diligenter dijudicatis, illas generando Phantasmata reddit subtiliores: atque hac ratione, sensualis rei perceptio peragitur. Sed ut ea distincta atque perfecta reddatur, istæ species seu imagines à Phantasia ad nobilissimam mentis

tis officinam, rationem deferuntur, ubi perfecta rerum notitia ab ea elaboratur. Quo facto statim clara atque distincta rerum cognitio fieri incipit. Postquam autem species objecti ad intellectum delata est, ipse respectu intellectus sese dupliciter habet, activè videlicet atque passivè, sicut principium quo homo intelligit, vel est formale & efficiens, vel subjectum ac sicut materiale: Ex hac duplici intellectus officio, distinctio inter intellectum agentem atque patientem, seu passibilem est orta. Porro quoniam quædam attractio atque unio objecti, cum ipso intellectu requiritur: itaque intellectus agens sensibili speciei junctus ab objecto sparsæ & ab externis sensibus delatæ ad Communem sensum atque phantasiam, fulgore suo phantasma illustrat: atque sic id quod antea solum potentiâ cognoscibile erat, actu intelligibile reddit, ut intellectus passibilis ad intelligibilem speciem reci-

cipiendam excitetur. Postquam autem  
 species apprehensa à phantasia, ab in-  
 tellectu agente, quasi lumine est illu-  
 strata, atque examinata, & tam di-  
 ligenti meditatione dijudicata, ut o-  
 mnia, etiam minutissima quæ cogno-  
 scenda sunt, appareant, tunc intellectus  
 patiens, intelligibilem speciem à phan-  
 tasmate productam, atque e statu ipsius  
 deductam, tamen absque omni mate-  
 riâ, atque individuantibus conditioni-  
 bus, ac cæteris imperfectionibus acci-  
 dentalibus, quæ antea phantasmati ad-  
 hærebant, recipit, ut abstractio fiat.  
 Postea intellectus reflexo quasi actu  
 cum suam intellectionem, secundum  
 conceptam rem, tanquam mensuram  
 suam, atque iterum hanc ad ipsum  
 sensus objectum, velut ad mensu-  
 ram suam examinat, utitur; inter quæ  
 si convenientia datur, cum eo quod in-  
 tellectus concepit, peracta est abstra-  
 ctio, atq; res cognita ha-  
 betur.

Μόλις τῷ Θεῷ Δόξα.

E

172

In

Eruditam dissertationem

DE COGNITIONE HUMANA

Eximii & Literatissimi Viri Juvenis

DN. CLAUDII AUSTRIIN,

Dum eam proprio Marte conscriptam ac-  
cutè defenderet.

**E**xponens doctè naturam Cognitionis,  
Optime Respondens arguis ipse tuam.  
Cognitioni namque locas operam, atq; locasti  
Nunquam desessam sedulitate sacra.  
Ergo jam Charites nectunt Tibi laurea ferta,  
Dum studio signant premia digna Tibi.  
Tu pergas studiis inhiare laboris amore,  
Hactenus ut suesti Cognitionis ansans.  
Et sic, nec fallar, metam tetigisse valebis  
Propositam, fructum sic etiam accipies.  
Det DEUS omnipotens tua sint incepta futura  
Cuncta suæ laudi, & verus honor Tibi erit!

Sic mente ex nupera ægritudine  
nonnihil perturbata integerrimo suo  
amico congratulari voluit.

CONRAD QUENSELL.

# Sinne- Fågnad

## Wissad

Sin Högdtåhrade Herr PRÆCEPTOR  
då han medelst disputerande ett wak-  
kert lärdoms prof af- lade.

**F**ast iag än icke har af Hippocre-  
nes fälla

Min lå- par ännu Wätt/ och  
på Parnassi klint

En än uti mitt loyp til wijsheetz  
måhlet hint /

Ut iag min ord och tahl / som höfdes /  
weet at ställa

På denna lustrwa dag / då min Præce-  
ptor låra

Ett wakert lärdoms prof med heder  
wijsar fram

Som om des flitigheet och Dygder  
wittna kan.

Så skall min Clio doch / det som hon  
kan / frambara.

En trogen önskan: at Ehr snart går  
up den frögd /

Som gier en minnig löhn / Ehr möda  
ewig nögd.

BALTHAZAR

WALLENSTIERNA.

Til detta wackra Wärlz lärde Förfär-  
digare och Försvarare

CLAUDIUS AUSTRIN,

Min Högdäbrade Wänn:

**W**in trogna Wänn hur I med wijsdom  
söckt bepröda  
Ehr ädla Siäle-Sohl/ ett lärde  
Wärel om förstånd/  
Och Kundskap wackeri kan och ganska klarlig  
tyda/

Som Ehr Thalia nu på banen bringa månd.  
Ehr Seders iusfighet och Dygders prydnad wijsa  
I pennan denne gång/ en nödigt skattar iag:  
En sielfwa Phæbus och Ehrs Wirt och Dygd  
beprijsar;

Ia/ sielfwa Wärellet/ det I framtee denna dag.  
Sahr lycklig ihersör fore! snart lär den tiden  
komma/

På hwilket en Himlen Ehr med hugnad löna will;  
Då I för mödan skall upskidra mycken fromma:  
Iag önskar af alle sinn GUD gifwe lycka till!

Således sin sinne-fågnad wisade  
sin Herz Land; Man.

J. NEELMAN.  
O-Goth. Reg. Alum.

**T**e doctas vigili cura coluisse Camenas  
Pieridum sacrate choro, testatur abunde  
Hic labor egregius, vividâ comitante Minervâ  
Conscriptus. Manet hinc Te laus & gloria  
CLAUDI,

Sunt tibi Castalidum felicia dona Sororum,  
Teque novem Nymphæ lactarunt nectare dulci  
Ut cum laude queas tua munia condecorare.  
Cum, ceu saepe soles, arguto differis ore,  
Materiemq; tuam celso de ponte cathedræ  
Sic defendis, honos tibi maximus inde redibit.  
Nec Te pœniteat tot sustinuisse labores  
Castalidum in castris. Nam præmia larga pa-  
rabit

Pallas amica sue virtutis & artis alumnis.  
Nec mora: cum viridi cinget tua tempora lauru  
Lauru: quam texunt Charites de vertice Pindi.  
Insuper hiscetuis, ALSTRIIN doctissime, Musis  
Gratulor ex animo! Successus fata precorque  
Fortunata! Melos ferventi finio voto:  
Dirigat Omnipotens conamina docta: labores  
Prosperet, ausa juvet, simulac pia ceptase-  
cundet!!!

Amicitiaë testificandæ ergò obtulit

JOHAN. SIDBECCHIUS.

Aboënsis.

**Ε**ἰ καὶ τῷ τὸ ἐπιχείρημα, ὃ σὺ ἔκλεξις  
 ἐκύριε πρὸς τῆς ΓΝΩΣΕΩΣ ἈΝΘΡΩΠΙΝΗΣ  
 ἑπιχειρήματι γράφειν, ὡς ὑψηλὸν εἶναι, ὅτι  
 πολλοὶ ὅλον τὸν βίον ἐν αὐτῷ διέτριψαν, δὴ πᾶς  
 εὐδαίμονί σου ἀγχινοῖα, καὶ τῇ φιλοπορίᾳ ἐξαι-  
 ρέτη μάρισα προσήκει, ὅτι αὐτὴ διάλεξις σε  
 ἑπίλεξις ἢ ἰκανῶς ἑπισταμένως συγγεγραμ-  
 μένη ἀποδείκνυσιν, ὅτι ὁμολογεῖται πρὸς πάν-  
 τιν περιαιρέσειν, ἐκ οἷός τ' εἰμὲ ὅπως ἐγκωμιά-  
 σω, καὶ ὡς λαβὼν ἀφορμὴν τῆς ἀνυπερέβου  
 σου φιλίας ἕνεκα ἀντὶ πολλῶν εἰς με εὐεργεσι-  
 ῶν σου πεκμήριον τῷ θελήματός με πρὸς.  
 Τοιγαρὶν τῆς προκοπῆς σου συχαίρω σοι, καὶ  
 ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ἔυχομαι, ἵνα βέλῃται ὁ  
 θεὸς περιαιρέσω ἐκπρεπῆ σου τὰ ἑπιχειρήματα  
 εὐλογήσῃ, ἵνα ὀλίγω ὑπερου τῆ μὲν ἐκκλησίᾳ  
 τῷ θεῷ καὶ τῇ παλιερίᾳ λυσιτέλεια, πῶς δὲ συγ-  
 γενεῦσι χαρὰ, καὶ σοι γηθούνη καὶ κῦδος ὡν  
 τυγχάνης. ἀκεραίως ἔγραψε

JOHAN. RYDBOHN O. Gotb.



Öfver den lärde Disputation  
DE COGNITIONE HUMANA  
Som  
Herr PRÆCEPTOR

CLAUDIUS AUSTRIIN,  
Sammanfkrifwit och försvarat.

PRÆCEPTOR medan J om Kundskap  
wackert fkrifwit/  
Har också Lärdom Ehr bland Lärda  
Kundbar blifwit.

Förståndes rätta art och läf afmåb-  
les här:

Förståndet äfwen och om Ehr Dngd  
wittne bär.

Jag önskar snart må ske Ehr lärdom  
måtte löna

Ehr med grön Lager, Erantz / och he-  
der, Krona Krona!

Sålunda sin Trogna Præceptor  
gratulerade

OTTO WILHELM QUENSELL.



COLLEGE OF THE CITY OF NEW YORK

THE UNIVERSITY OF THE CITY OF NEW YORK

PHILOSOPHY - A BACHELOR'S DEGREE

IN THE CITY OF NEW YORK

FOR THE DEGREE OF BACHELOR OF ARTS

IN THE CITY OF NEW YORK

FOR THE DEGREE OF BACHELOR OF ARTS

IN THE CITY OF NEW YORK

FOR THE DEGREE OF BACHELOR OF ARTS

IN THE CITY OF NEW YORK

FOR THE DEGREE OF BACHELOR OF ARTS

IN THE CITY OF NEW YORK

FOR THE DEGREE OF BACHELOR OF ARTS

IN THE CITY OF NEW YORK

FOR THE DEGREE OF BACHELOR OF ARTS

IN THE CITY OF NEW YORK

FOR THE DEGREE OF BACHELOR OF ARTS

IN THE CITY OF NEW YORK

FOR THE DEGREE OF BACHELOR OF ARTS

1. B.V. Mf. 6160